

Historia  
Hepatitis

in Clinico Instituto Vilnensi

~~sanatae~~ sanatae

A<sup>o</sup> 1808, Mense Januarii

conscripta

a Georgio Reykowski

Antagoni

THE  
LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM OF  
COMPARATIVE ZOOLOGY  
AND ANATOMY  
HARVARD UNIVERSITY

## Hepatitis.

Marianna Trappe, triginta sex annorum mulier maritata, nunquam peperit, regulariter semper, a decimo quinto aetatis anno per tres dies menstruans, usque ad retro octodecim menses, ubi violenter fustigata, catamenia per sex dies copiose fluentia pro ultima vice habuit, remanentibus nullis fere in posterum gravioribus incommodis, nisi superveniente aliquo dolore ad lumbos, irregulariter in epocham mensium cadente. Nunquam sputum sanguinis, epistaxesque experta. Variolae et morbilli, in aëvo tenello fuerunt, nec aliter ipsi, nisi dicto matris noti. Et si excipiamus morbos, alterum nempe, ante tres annos per terdecim septimanas, cum magna virium prostratione, deliriisque incedentem, alterum anno praeterito in Martio cum vomitu inceptum, perque septem hebdomadas durantem, levisque hinc inde catarrhos, cum siccitate narium supervenientes; et plurimum sana vixit. Ab aliquot ultimis septimanis, variis animi pathematibus turbabatur, tam ex cura domestica, rebus nimirum in finem labentibus, quam ex

rudiori tractatione a marito per ictus pugni temporibus applicatos, unde tumefactiones echymoses, dentiumque dolores miseram vexarunt, nec non ex detentione in carceribus mariti, quem visitare, millenasque difficultates tollere debuit. Ita scilicet in summo negotiorum adversitatumque confluxu, retro sex abhinc dies, violentibus pathematibus, insuper refrigerio ac defatigatione per cursum lassam, domumque reversa, sat bono coeteris paribus appetitu, viscera animalium cocta beneque parata, sumit: et post aliquas horas, loco refectionis virium uti sperabat, magna debilitate, cephalalgia, horrore, dedolatione artuum, praecipue genuumprehenditur: subsequente deinde calore, pruritus magnus ad anteriora thoracis, partemque capillatam capitis nascitur, vix non ad rabiem (ut exprimit sese) molestus: non longam post moram cessat ille, locumque veluti cedit, dolori ad epigastrium, hypochondriumque dextrum. Anxietas circa praecordia, respiratio brevis, ad loca vix dicta dolorifica, siccitas linguae sitisque magna, amaror, ructatio nidorosa, nausea junguntur: serius tussis brevifere sicca, dolor ad summum humeri, superveniunt. Talibus per sequentes dies cruciata 1808 Anno, die 20 Januarii, in clinico instituto comparet Examis

examinique publico exposita, quae sequuntur, obtulit:  
 Habitum corporis potius emaciatum quam pinguem,  
 cutim universam subflavam, magis vero in facie et pec-  
 tore talem: caput totum valdopere dolens, hinc inde  
 vertiginosum: palpebras circulo livido insignitas, album  
 oculorum adumbratum, cuti concolor, faciem flavo-pal-  
 lescentem, quasi collapsam: linguam spurcam, amaram,  
 sitim magnam, rictus nidorosos: audivimusque sin-  
 gultum, loquelam multum lassitudinis indicantem:  
 tuniculam: sputa vix aliqua mucosa: respirationem  
 brevem, expirationem citam, inspirationem profundio-  
 rem, dolores ad epigastrium hypochondriumque dex-  
 trum cientem: decubitum ideo ad latera molestum,  
 ad latus dextrum, magis talem. Dolores hi in minimo at-  
 tactu augebantur, tensionem duritiemque aliquam ad  
 inter epigastrium, ac medietatem hypochondrii dextri, di-  
 gito tangenti, opponebant. Coeterum abdomen molle  
 non dolens, aliquomodo pleniuseculum: album a quin-  
 que diebus non motam: genuum dolores: alios artuum  
 dolores evanuisse hac nocte aserebat, post copiosum  
 sudorem, quem in morbo pro prima vice habuit: Urinam  
 valde coloratam subturbidam, cutim non aridam  
 calorem fere sanum: pulsum parvum mollem debilem

non

non adeo frequentem: prostrationem virium non maximam, etiam si talem asseruerit; nam ipsa scalas cum adjutrice ascendebat.

Diagnosis. Considerando dolorem fixum ad hepatis regionem sub tactu crescentem, duritiemque ibi ac tensionem, tussiculam, dolorem in summo humeri, praegressis, horrore calore siti seu verbo, febre, de inflammatione ipsius nullum remanet dubium. Inspiratio profundior exacerbans dolorem in circumscripto loco, decubitusque non omnino denegatus ad latus dextrum, difficilior tamen, quam ad sinistrum, partialem illius phlogosim ostendunt, et quidem ex medietate sinistra versus lobum minorem, protractam; in superficie superiori: lobum autem minorem etiam ex concava parte ab illa prehensum: nam contiguus ventriculo, gastrica symptomata in hoc uti nauseam fere vomitionem, ructus, singultum coeteraque superius adnotata, excitavit: Ventriculus autem ipse videtur illaesus, saburraque vera, turgens ad superiora, absens, nam vomitus nullus insecutus est, copiaeque potus retenta, comestaque ipsa bene parata, cui assertioni manus visitans has regiones non parum ponderis contribuit. Atqui hepatitis, a febre, qua associatur, indolem desumit, ergo hic loci, refrigerium, praegressi dolores artium, annuusque character morborum,

~~rheu-~~  
~~ma~~

rheumaticam originem supponere et agnoscere suadent. Catamenia tam longe non prodeuntia, citra graviditatem, quia hanc negat, et affirmat verissimiliter, longo sterilitatis tractu in melioribus temporibus abesse fecunditatem, sed quorum molimina saltem videntur in doloribus lumborum renovatis annuntiata, debilitatem totius systematis subaudire, concedunt, et inde timorem facilis transitus in febrem nervosam incutiant: magisque autem ideo; quia multa gravique pathemata animi, et praecessere, et causa illorum durat, nempe incarcerationis mariti, morbus uxoris, domusque derelicta. . . . Quare prognosis

Prognosis.

cauta imo dubia valde statuitur. Insuper omnis inflammatio periculi plena: hic morbus neglectus ad septimanam diem suppurationem minatur. Interim absentia doloris pulsativi, remissioque tam insignis, ut nisi praeterita, praesentia symptomata vix graviozem febrem indicarent, resolutionem sperare inuitant.

Cura.

Venaesectio sub hoc momento a febre non indicatur, quare ad vespertinam exacerbationem observationemque morbi sine hac progredimur. Interim ut sordes tubo intestinali

intestinali tam diu retentae, inflammationique omni  
perquam inimica, quam citissime eliminentur; clyma  
iniiciatur, deinde sequens medicamentum ex tamarin-  
dis et nitro paratum, consonum positioni rerum ap-  
paret: Rp Pulpae tamarindi indicae unciis tres

Cog: c: s: q: a: c: per quadrantem horae

Colaturae librarum duarum adde;

Nitratis potassae drachmam unam

Syrupi simplicis unciam unam

M: D: S: Capiat omni bihorio vasculum.

Fomenta calida emollientia ad locum dolentem. Dieta  
iuculum simplex. Potus: decoctum instituti tepidum.

Vespere. Post injectum clyma parva copia faecum durarum  
eliciata: a fomentationibus dolores moderati: bis per  
diem horror ingruebat. Sub visitatione inventa... Do-  
lor capitis imminutus: oculi scintillantes: imaginatio  
variis ludibriis turbata: vertigo hinc inde: lingua mol-  
lis humidiuscula, minus spurca: sitis: amaro oris  
non tantus: ructus inodori: singultus aliquoties: res-  
pirationem faciliorem matutina asserebat, fuit tamen  
ex aspectu sat brevis ac laboriosa: contactus uti mane  
ad regionem hepatis dolorificus: levis dolor cum bor-  
borygmis abdomen intercurrebant, contactus ibi nil mo-  
lestiae causavit, fuit vero illud molle pleniussculum:

Calor

5  
calor cutis auctus: pulsus ad centum, debilis, diffuens  
et variabilis. Continuet in ordinatis mane.

Die 21 Ianuarii: 8 morbi: 2 Ingressus. Dormivit nocte sat  
bene: alvus faecalis liquida bis mota: urina profun-  
de tincta cum levi sedimento puriformi: melius sibi  
esse asserit. Revera aspectus melior: caput longe mi-  
nus dolet: susurrus adhuc perstat: lingua humida mi-  
nus spurca: respiratio longe facilior: inspiratio pro-  
fundior minus molestiae causat: abdomen molle:  
calor sanus: cutis humida: nocte copiose universa-  
liter sudavit: pulsus 74, magis haesternô elevatus:

Praescripsimus: Rp Radicis althaeae officinalis unci-  
am semis: Coque c: s: q: a: com: p:  $\frac{1}{4}$  horae,

Colaturae refrigeratae librae unius adde;

Acetatis ammoniacae; Mellis acetati aa unciam  
unam: M: D: S: Omni bihorio vasculum semis.

Vesicatorium largum, qua rubefaciens loco dolenti  
applicetur.

Vespere. Sub vesicatorio dolor adhuc magis lenitus; ve-  
sica non potuit praecaveri: respiratio omnimodo fa-  
cilis: sudavit multum et sudat universaliter: cutis sub-  
friget: pulsus lentior matutinô, debiliusculus: lingua

humida

humida: alvus semel copiosius quam haeri mota subli-  
quida: urina tincta.

Die 22 Januarii, 9 morbi, 3 Ingressus. Somnus utcumque, va-  
nis tamen phanthalmitibus mistus: sub profundissi-  
ma inspiratione dolor vix ne vix ad hepar sentitur:  
attactum ab exteris excoxiatio a vesicante impedit: tui-  
vit hac nocte, sputaque mucosa copiosa ejecit: ructatio  
inodora, singultusque adhuc obveniunt: lingua nunc  
humida purior, noctu sicciscebatur, saporem sentit: ab-  
domen molle, indolens: alvus non mota: urina copio-  
sa, saturata: calor cutis, pulsusque a sano non ablu-  
dunt fere: Repetitur idem medicamentum,

Vespere. Ructus inodori, singultusque interveniunt; dolor  
autem ad hepar non sentitur: aliquis adhuc dolor  
capitis, susurrusque: lingua non omnino pura, humi-  
da: cutis humida subfriget: pulsus lentior matuti-  
no, debiliusculus: alvus clausa: urina copiosa, sub-  
turbida.

Die 23 Januarii, 10 morbi 4 Ingressus. Noctu bene dormi-  
vit, non tussit: dolores ad hepatis regionem non sen-  
tit: in utroque latere commode decumbit: calor cutis,  
pulsusque ut in statu sano: caput a dolore non  
omnino liberum: susurrus perstat: os amarum: ruc-  
tus singultusque obeunt: alvus tardius movetur: ho-

6


hodie semel parvissime mota: urina copiosa, coloris sani: praescriptum est: *Rp* Radicis Rhei pul-  
mati drachmam unam: Muriatis hydrargy-  
ri grana sex: *M: f: ̄* dividendus in p: aequa-  
les *℞* tres: *D: S:* Ter de die, pulverem usum.

Vespere. Amara oris non amplius sentitur: lingua  
purior: ructus longe rariores, singultusque: alvus bis par-  
ce mota: urina copiosa: calor cutis sanus, pulsus ma-  
gis elevatus quam vespere haesterno:

Die 24 Januarii, 11 morbi, 5 Ingressus. Somnus bonus: for-  
torem se dicit: dolor nullibi: lingua non omnino  
pura: amara adhuc aliquis: ructus inodori singul-  
tusque, etiamsi longe rariores; obveniunt tamen hinc  
inde: alvus foecalis ter mota: abdomen molle: pulsus  
elevatus non frequens: urina copiosa, coloris sani, mi-  
nime a rheo uti solebat alia, non colorata: repetun-  
tur pulveres, quorum unus hodie exit vespere sumendus.

Vespere. Bis faecalem copiosam albo materiam excrevit,  
subnigram, cum intermixto mucositate: susurrus, amara,  
perstant: lingua purior: ructus singultusque rarissi-  
mi: urina parvam colorata: calor cutis pulsusque  
uti mane.

Die 25 Januarii, 12 morbi, 6 Ingressus. Bene noctu dormivit

de  


de nihilo conqueritur, nisi de aliqua parva amarities  
lingua humida, purior adhuc quam haeri: ructus hinc  
inde, assumpti pulveris odorem referentes: alvus bis  
faecalis, subnigra mota: urina coloris sani; cutis calor,  
pulsusque non aberrant a statu sano: appetenti, pa-  
nis albus, jasculo additur. Sumet vespere ultimum  
pulverem.

Vespere. Alvus per diem ter mota, ejusdem ac prius  
indolis: amaror aliquis: lingua pura, humida: ruc-  
tus interdum; singultus non amplius obveniunt:  
aspectus melior: coeterumque sat bene.

Die 26 Januarii 13 morbi 7 Ingressus. Tantum aliqua  
oris amarities, ac ructatio perstat; lingua interim  
humida ac pura: susurrus non evanuit: alvus ter mota  
subnigra et subliquida: abdomen molle, nullis incommodis af-  
ficiatur: coetera uti haeri. Maneat quieta a medicamine; et  
quum jam appetit; paulillum pulmenti dietae, addi con-  
ceditur.

Vespere. Amaror oris evanuit: ructus, singultus, susurrus  
neceum: lingua purissima: alvus semel subliquida mo-  
ta, non ita nigricans, potius subflava: urina pro prima  
vice cum sedimento puriformi: pulsus magis elevatus.

Die 27 Jan.

Die 27 Januarii 14 morbi 8 Ingressus. Noctua vehemens dolor capitis, dentiumque derepente ortus, per aliquas horas vexabat, horis matutinis siluit: lingua minus pura quam haeri, siccescerebat noctu: ructus, singultus, susurrus, non evanuerunt: alvus semel subliquida flava deposita: urina coloris sani: pulsus calorque cutis a sano non aberrant. Decoctum malvae pro collutorio, nam gingivae parumper irritatae apparuerunt.

Vespere. Lingua denovo pura, nil morborum praeter ructus et singultum accusat: appetitus increvit.

Die 28 Januarii 15 morbi 9 Ingressus. Aliquis dolor capitis secunda hora matutina e somno evigilavit patientem, sed brevi siluit, plaudeque dein obdormire concessit: de nihilo conqueritur: lingua humida pura, appetitus viget: ructus adhuc hinc inde: alvus bis subliquida flava mota: urina coloris sani: coetera omnia sat bona. Sumatur decocti lichenis islandici ter de die Vasculum.

Vespere. Ructus tantum hinc inde, dolorque aliquis dentis cariosi: coetera omnia bona: appetit: panis secalinus conceditur.

Die 29 Januarii 16 morbi 10 Ingressus. Sat bene dormivit:

Cuius

evigilata dolorem dentis cariosi accusat; ructatio non  
ominino evanuit; alvus bis mota; urina sani coloris;  
vertiginem accusat; sed et antea habuisse ante mor-  
bum fatetur. Continuet in decocto lichenis islandici  
Vespere. Fortior est, perambulabat; jusculum acidum ex-  
posit; conceditur; et caro dietae additur, nam vi-  
res digestionis auctae videntur.

Die 30 Januarii. 17 morbi 11 Ingressus. Dolor temporis  
sinistri dentisque cariosi, noctu somnum aliquid  
impedivit; nunc primus silet, secundus aliquomo-  
do durat; vertigo hinc inde; coeterum pulsus sa-  
nus, alvi urinaeque conditio, a sanis non differunt.  
Continuet in decocto lichenis.

Vespere. Nulla rerum mutatio, nisi in melius; vires re-  
deunt; ambulabat.

Die 31 Januarii 12 Ingressus. Dolor tantum dentis cari-  
osi, praetera omnia bona, quare ille extrahi or-  
dinatur. Continuet in decocto lichenis.

Vespere. Dens extractus; paucillum sanguinis stillavit  
praeter parvum, dolorem nil accusat.

Die 1 Februarii 13 Ingressus. In loco extracti dentis mini-  
ma incommoda; dolor noctu aliquis capitis;

mane

8

mane algor extremitatum: alvus semel sano modo deposita: urina sani coloris. Sub visitatione inventa cum pulsu sano, in coeterisque sat bene valens. Continuet in decocto lichenis islandici.

Vespere. Sub ambulatione algorem extremitatum facile acquirerebat: dolorem lumborum accusat: coeterum bene est.

Die 2 Februarii, 14 Ingressus. Extremitates suas mane aluisse lumbisque doluisse, et dolere, accusat: coeterum bene valet: alvus et urina rite moventur. Continuet in iisdem.

Vespere. Sat bene in aliis: dolor tantum lumborum.

Die 3 Februarii, 15 Ingressus. Dolorem capitis per aliquod tempus noctu sentiebat: mane extremitatum algorem fuisse, dolorem lumborum continuam adesse dicit: alvus semel mota: urina pallida: Aetheris sulphurici alcoholisati guttae duodecim, ter in die sumendae ordinantur.

Vespere. Doloze lumborum, et hinc inde per diem algoribus extremitatum, molestari, dicebat.

Die 4 Februarii, 16 Ingressus. Nox peracta in bono somno:

Dolor

Dolorem lumborum eundem esse, et algorem extre-  
mitatum supervenire similiter dicit: alvus bis mo-  
ta subliquida: urina pallida: debiliorem sese dicit  
etiamsi talis non appareat: pulsus a sano non  
differt. Linimento volatili, lumbi inungantur: Ca-  
piatque ter de die vasculum infusi florum matric-  
ariae chamomillae, cum guttis duodecim, aetheris  
sulphurici alcoholisati.

Vespere. Nihil novi.

Die 5 Februarii 17 Ingressus. Dormivit bene: nec dolor  
capitis, nec algor extremitatum obveniebant: dolor  
lumborum imminutus: alvus subliquida bis mota:  
urina coloris sani: pulsus a sano non differt.  
Continuet in infuso florum chamomillae cum  
guttulis aetheris sulphurici alcoholisati.


Vespere. Bene in omnibus: praeter aliquem do-  
lorem lumborum.

Die 6 Februarii: 24 initii morbi. 18 Ingressus. Somnus  
bonus coeteraque omnia, statim sanitatis testaban-  
tur: aliquis dolor lumborum vix sentiebatur, ideo; cum  
voluerit domum redire; dimissa est.

Epicrisis.

9  
Epicrisis. Ab initio, pulpa tamarindi indicæ cum ni-  
tro bene patienti inservit: deinde vesicatorium, et  
acetos ammoniacæ, rheumaticæ indoli, cum solatio res-  
ponderunt: postremo, residuum inflammationis; mu-  
riate hydrargyri cum rheo, dissipatum: itaque he-  
patitis plenariè sanata.

Joseph Franke  
Ph. Sp. et Pharm. Prof. P.O.  
Sniadecki  
Beem  
Mabusunig  
Lobenwein  
Projanat.  
Briotel



W  
R  
I  
T  
I  
N  
G

C. WILLIAMS & CO. PHOTODUPLICATION